

Documenta

Circaria Bohemiae, abbas Praemonstratensis et capitulum generale 1142-1541

PRAEFATIO

In introductione ad primam partem editionis suae *Acta et decreta capitulorum generalium ordinis Praemonstratensis*¹⁾ J.B. VALVEKENS dicit: «Plenissime nobis in comperto est editionem hanc perplures lacunas secum ferre. Faxit Deus, ut haec editio... alios incitet, ut lacunae illae feliciter compleri queant».

Eius verba stimulus erat, ut omnia documenta, quae in archivis ordinis pristinae circariae (quae Bohemiam, Moraviam, Inferiorem et Superiorem Austriam amplectebatur), in archivis Rei publicae foederalis Germanicae, in variis fontium editionibus praesto sunt, eo consilio colligerentur, ut commercia litterarum abbatis Praemonstratensis capituli generalis cum monasteriis in terris nominatis illustrarentur.

Editio nostra documenta annorum 1142 usque 1541 amplectitur et ultimo nuntio de commercio pristinae circariae cum domo centrali ordinis Praemonstratensis aetate praetridentina terminatur. Magnum temporis intervallum inde ab anno 1541 (etiam defectu actorum capitulorum generalium signatum) ea ratione explicare possumus, quod in circuitu circariae crescens religio lutherana remissionem et deinde etiam finem commercii cum capitulo generali Praemonstratensi fecit. Alterum dimidium saeculi 16ⁱ, quo vita ordinis praesertim tempore abbatis Strahoviensis Ioannis Lohelii (1586-1612), renovabatur, iam aliam harum rerum imaginem praebet.

Omnia documenta edita pertinent ad fines, quibus circa annum 1200 nomen circaria datum est²⁾. Ex indice monasteriorum, quem BACKMUND edidit, patet primo tempore in terris nostris duas circarias, Bohemicam scilicet et Moravicam fuisse. Quod catalogo Ninovensi I (inter 1220-1240 scripto) probatur³⁾: *Circaria in Boemia in Pragensi diocesi: Mons*

¹⁾ Editum Averbodii 1966 sqq., pag. ix.

²⁾ N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, tom. I², p. viii et ix, tom. III, p. 365.

³⁾ BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 365-366.

Sion, Siloe, Lucomissil [!], Mileusz, Tepla. Circaria in Moravia in Olomucensi diocesi: Luca, Gradis, Brenna [!]⁴⁾). Nomen ultimo loco positum BACKMUND «Brzesko in Polonia» interpretatur, quamquam sine dubio monasterium Zabrdovicense (Zábrdovice) apud Brunnam (Brno) situm significatur. Catalogus nullum monasterium Austriacum memorat.

Catalogus Ninovensius II (circa annum 1235 scriptus)⁵⁾ divisionem habet secundum terras, scilicet: *In Boemia Mons Syon, Teppla, Mileusz, Sylloe, Lutomissil. In Moravia Zabbcdluuitensis [!], Luca, Gadis [!]⁶⁾. In Austria Ierus filia Sylloe⁷⁾*.

Uterque catalogus, Ninovensius scilicet I et II, monasteria virorum sola affert, Ninovensius II ex monasteriis Austriacis Geras tantum memorat, quod significare potest eo tempore, quo fons catalogi exstitit, Plagam monasterium ordinis Praemonstratensis (cui anno demum 1218 assignatum est) non fuisse aut paternitatem ipsius a Rudigero episcopo Pataviensi impugnatum esse⁸⁾.

Secundum catalogum Scheftlariensem (Vetus registrum) circa annum 1270 confectum⁹⁾ erant in *circaria Bohemie Mons Syon, Topla [!], Sylloe, Lutamussel [!], Mileuz, Goteschaw sororum, Tokzan sororum, Lunawitz sororum. Circaria Mouruuie Graedis, Lucca [!], Zawardawitz, Coniz sororum, Reus sororum, Jerus, Pernekk sororum, Porta Coeli, Plagensis¹⁰⁾*. Pars Austriaca spectat ad adhuc autonomam circariam Moraviae, sed Plaga sub nomine Zlaga¹¹⁾ etiam in circaria Bavariae nominata est, ad quam forsitan tempore Rudigeri episcopi Pataviensis (circa 1236?) spectabat; neque tamen de his rebus satis edocti sumus.

Si catalogus Ninovensius II circa annum 1235 scriptus Austriam adhuc autonomam affert (quaeritur tamen num primo dimidio saeculi 13. circaria Austriaca autonoma vere exstiterit) et in eo unicum monasterium virorum Geras (catalogus iste monasteria sororum omnino omittens et Pernegg omittit) et si Vetus registrum circa annum 1270 scriptum monasteria Austriaca iam in circaria Moraviae memorat, existimare possumus coniunctionem eo tempore, quo utraque terra unum eundem-

⁴⁾ o.c., p. 385.

⁵⁾ o.c., p. 367.

⁶⁾ o.c., p. 394.

⁷⁾ o.c., p. 398.

⁸⁾ Cf. Evermod HAGER, Woher kamen die ersten Prämonstratenser nach Schlägl? Linz 1918, p. 14 sqq.

⁹⁾ BACKMUND, Monasticon, III, p. 368.

¹⁰⁾ o.c., p. 412.

¹¹⁾ o.c., p. 411.

que habuit principem, esse factam. Hic erat Primislaus Ottocarus¹²⁾, qui anno 1247 marchio Moraviae et 1251 dux Austriae factus est, qua de causa aggregatio monasteriorum Austriacorum ad circariam Moraviae sine dubio post annum 1251 ponenda est.

Catalogus anni 1320¹³⁾ unicam iam circariam novit, quae «*circaria Bohemie*» nominatur et in ea haec monasteria: *Mons Syon alias Strahove, Dokinzan monialium, Sylloe, Lunis monialium, Luthomis, Thepla, Cothessave, Meleusco, Kunis, Gradis, Luca, Zabawie, Reus monialium, Boeka* (= Brzesko in Polonia secundum BACKMUND), *Iherus, Berneth monialium, Porta Celi in Vienna monialium, Slaga monialium, Spainsart monialium*¹⁴⁾. Qui catalogus omnia affert monasteria virorum et mulierum, habet insuper Brzesko (siquidem «Boeka» sic explicari potest) e circaria Poloniae et Speinshart e circaria Bavariae. Cur Schlägl et Speinshart in catalogo illo mulierum monasteria appellentur, intelligi nullo modo potest.

In documentis nostris antiquissimis invenitur nomen circariae Bohemiae (sed illius iam aliquando post annum 1270 unitae) primo 1301, ultimo 1531. Deinde nominatur circaria Bohemiae et Moraviae primo 1319, ultimo 1520, tum circaria Bohemiae, Moraviae, Austriae primo 1341, ultimo 1512. In usu nominum nulla erat aequabilitas et uniformitas, aliter alii circariam nominabant, diversa autem nomina idem semper territorium significabant.

Materia hic edita pertinet ad monasteria in Bohemia, Moravia, Austria. In Bohemia quinque monasteria virorum erant (Litomyšl fundatum circa 1145, Milevsko 1184-1187, Strahov 1142-1143, Teplá 1193, Želiv 1149) et tria monasteria feminarum (Doksany post 1143, Chotěšov post 1202, Louňovice 1149), in Moravia tria monasteria virorum (Hradisko 1150, Louka 1190, Zábřdovice circa 1210) et duo monasteria feminarum (Dolní Kounice 1181-1183, Nová Říše circa 1210), in Austria Inferiore monasterium virorum Geras 1153-1159 et duo monasteria feminarum Himmelpforte Vindobonae ante 1270 et Pernegg circa 1155, in Austria Superiore solum monasterium virorum Schlägl 1218. Varia et dispar est multitudo documentorum ex singulis monasteriis servatorum. Plurimis documentis monasterium Teplense gloriatur, exemplis praesertim littera-

¹²⁾ Primislaus Ottocarus II. rex Bohemiae 1253-1278†.

¹³⁾ BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 377 sqq.

¹⁴⁾ o.c., p. 441-443.

¹⁵⁾ Cf. A. L. ZERLIK, *Annales monasterii Teplensis*, t. I-II, in: *Analecta Praemonstratensia* XXXVII-1961, p. 147-154.

rum, quae anno 1621 P. Venceslaus Schilling in Annales monasterii Teplensis inscripsit. Materia hoc modo inter singula monasteria distribuitur: Vindicat sibi Teplá 38 documenta, Strahov (et episcopus Olomucensis Henricus Zdík) 14, Schlägl 10, Hradisko 10, Chotěšov 9, Louka 9, Milevsko 3, Zábřdovice 3, Doksany 2, Kounice 2, Litomyšl 2, Geras unum. Cetera documenta sunt mixta, ad duo saltem monasteria pertinentia, cuius generis sunt nominationes visitorum et alia multa.

Ex 153 documentis editis 16 sola in originali servata sunt, 38 solum ex exemplaribus transcriptis aut vetere editione nota sunt, 46 restructa sunt ex mentionibus in Actis capitulorum generalium, 53 restructui possunt ex mentionibus, quae in litteris posterioribus et in Chronica Gerlaci abbatis Milocensis et in Actis Plagensium (ms. 16 arch. abbatis Plagensis) leguntur.

Omnibus litteris «sedente nostro capitulo generali» datis praeter nomen abbatis Praemonstratensis (excepto tempore sedis vacantis) etiam capitulum generale memoratur. Si tamen praeter tempus celebrationis capituli generalis scriptae sunt, solo nomine abbatis Praemonstratensis datae sunt (e.g. 21. septembris 1504 num. 104, 9. maii 1510 num. 123). Quaedam tamen litterae «sedente nostro capitulo generali» datae solo nomine abbatis Praemonstratensis dabantur (e.g. num. 33 et 44). Si argumentum spectamus, 81 documenta ad institutionem visitorum pertinent, 19 ad nominationes aut missiones abbatum et praepositorum et ad controversias de eorum electionibus, 6 ad probandas possessionum mutationes, 6 ad pitantias, 5 ad condenda monasteria, 5 ad commercium cum iis, qui non erant ordinis socii ineundum, 3 ad institutionem visitationis extraordinariae, 2 ad mutationem paternitatis, 5 ad exceptiones et dispensationes, 1 ad nuntium de visitatione, 19 ad res varias, una praeterea litterae commendaticiae inter memorata documenta spectantur. Potestatem et officia capitulorum generalium aliquot loci statutorum ordinis illustrant¹⁶⁾, quae etiam de officiis et iuribus visitorum agunt. Decreta nominationis visitorum «in ampla forma» data et in editione nostra in lucem prolata de iuribus et officiis visitorum satis accurate docent.

Sicut iam supra diximus, 81 documenta, id est plus quam dimidium editionis, ad institutionem visitorum pertinent. Aliqua decreta nominationis in originali servata sunt, aliqua in exemplaribus transcriptis.

¹⁶⁾ Pl. F. LEFÈVRE, Les Statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècle, Louvain 1946.

Deperdita reconstructa sunt aut ex editione J.B. VALVEKENS¹⁷⁾ aut ex mentionibus visitorum, quae in aliis litteris reperiuntur. Dies decretorum, quae hic reconstruimus, datorum die celebrationis capituli generalis proxime praecedentis cognoscuntur, quia munus visitoris (nisi prorogatum est) proxima celebratione capituli generalis terminabatur. Decreta nominationis visitorum ultimo (tertio) die celebrationis capituli generalis dabantur, id est secundum statuta ordinis die 11. octobris. (Saeculo 12. celebrationem illam unius tantum diei fuisse conicimus, scilicet 9. octobris.) Sicubi dies adscriptus non est, omnes tres dies celebrationis capituli generalis interdum ponimus, id est 9. usque ad 11. octobris, inde ab anno 1466 dominicam Cantate et sequentes duos dies adscribimus. Saeculo 16. decreta etiam primo iam die celebrationis capituli generalis edita esse testimoniis probare possumus (e.g. 10. maii 1506 num. 108, 6. maii 1520 num. 137).

Decreta nominationis visitorum dabantur aut in forma simplici¹⁸⁾ aut «in bona et ampla forma», cuius rei aliquot testimonia Bohemica ab anno 1464 ad annum 1520 possidemus (11. octobris 1464 num. 62, 3. maii 1485 num. 76, 10. maii 1506 num. 108, 4. maii 1507 num. 112, 9. maii 1510 num. 123, 6. maii 1520 num. 137). Formam decreti mediae amplitudinis duo decreta ad abbates Teplenses spectantia proponunt (15. septembris 1504 num. 103, 23. iulii 1526 num. 141).

Nomen pristinum visitorum erat «circatores», qui bini singulis territoriis destinabantur, quod medio saeculo 12. in statutis ordinis¹⁹⁾ demonstratum habemus. Gervasius abbas Praemonstratensis ante annum 1220 (num. 13) et postea Gregorius papa IX. anno 1232²⁰⁾ vocabulo «visitatores» primi utuntur, quod gradatim non sine difficultatibus in usum venit, dum vetustiori voci «circatores» etiam tum postponuntur. Sic anno 1320 abbas Steinfeldensis nomine «circator annuus» appellatur (num. 24 ad annum 1319).

Visitatores bini singulis circariis dabantur neque tamen constat singuline an bini a capitulo generali 13. et 14. saeculo nominati sint. Neque

¹⁷⁾ J.B. VALVEKENS, *Acta et decreta capitulorum generalium ordinis Praemonstratensis*, Averbode, 1966 sqq. tom. I, 1969 sqq. tom. II, 1973 sqq. tom. III.

¹⁸⁾ In hac forma nullum documentum saeculorum 13.-14. pro nostra circaria habemus. Ex circaria Hungariae, nobis vicina, existit tale documentum anni 1362 (in copia vidimata anni 1747 in Archivo regionali status Brunnensi in Bohemoslovia, ms. E 57 A.H. 204 d/1, fol. 1^{rv}).

¹⁹⁾ Pl.F. LEFÈVRE-W.M. GRAUWEN, *Les Statuts de Prémontré au milieu du XII^e siècle*, Averbode 1978 (Bibl. Analect. Praem., fasc. 12), p. 47-48.

²⁰⁾ Cf. notam¹⁶⁾ hic superius, ibi pag. 127-138.

abest suspicio, quin unus constitui solitus sit, qui postea «collegam», «convisitatorem», «assessorem» sibi designavit, quos titulos in documentis nostris invenimus. Cum Gerlacus abbas Milocensis ante annum 1220 visitator est institutus, aperte ei mandatum est, ut ad se alterum quendam abbatem eligeret (num. 13). Anno 1266 visitator (abbas Strahoviensis) mentionem alterius visitatoris (abbatis Lucensis) tamquam collegae facit («cum collega nostro» num. 14 ad annum 1265). Statuta anni 1290 alterum visitatorem vocabulo «assessoris» appellant²¹), quod etiam anno 1320 (num. 24 ad annum 1319) demonstratum habemus. Cum anno 1324 iidem, qui anno 1320, abbates (id est Steinfeldensis et Strahoviensis) visitabant, ambo «annui visitatores» (num. 25 ad annum 1323) nominabantur. Anno 1336 abbas Strahoviensis «visitator annuus», abbas vero Milocensis «convisitator» nominatur (num. 27 ad annum 1335).

In vicina circaria Sueviae et Bavariae anno 1340 habentur «visitatores annui...constituti», anno sequenti 1341 «visitator annuus...singulariter constitutus», anno 1372 «visitator annuus...constitutus assumpto...preposito Staingadiensis ecclesie vice et loco...prepositi ecclesie Marthalensis, nostri venerabilis collateralis»²²). Tria igitur evenire poterant, ut essent: a) visitatores duo (aut ambo a capitulo generali nominati aut unus tantum nominatus, qui deinde collegam, convisitatorem, assessorem assumpsit), b) visitatores duo, quorum unus tantum a capitulo generali nominatus in collegae sui locum a se ipso assumpti interdum in singulis casibus qualemcumque praelatum adoptavit, c) unicus visitator. A 14. saeculo haec tria exempla etiam ex circaria nostra hauriri possunt neque tamen scimus, an vetustiora harum rerum testimonia deperdita sint. Binos visitatores habemus apud nos usque ad annum 1341 (num. 29) et denuo anno 1373 (num. 50), ceteris annis et saeculis aliquando binos, aliquando singulos, annis 1353 usque 1373 singulos. Anno 1324 visitatores, qui erant abbates Strahoviensis et Steinfeldensis, Tilmannum praepositum monasterii Nová Říše ad visitationem monasterii Plagensis (Schlägl) delegant (num. 25 ad annum 1323).

Titulus «visitator annuus» docet officium visitorum singulos plerumque annos non excessisse. A 15. demum saeculo singulos visitatores in singulos, binos, ternos, plures annos nominatos aut prorogatione officii in celebratione capitulorum generalium honoratos esse cognosci-

²¹) J. LE PAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis ordinis*, Parisiis 1633, pag. 823.

²²) R. PALME, *Die Abtwahl im Stift Wilten von der Gründung bis zur Beendigung des Exemptionsstreites*, in: *Analecta Praemonstratensia* XLVIII-1972, p. 23, 25, 26.

mus. Primum documentum de visitatore in tres annos nominato in nostra circaria anno 1415 invenitur (num. 53 ad annos 1412-1414). A 15. saeculo etiam alios titulos quam «visitator annuus» invenimus, e.g. 1471 «visitator generalis et commissarius unicus» (num. 67 ad annum 1470), 1476 «vicarius generalis et visitator specialis» (num. 68 ad annum 1475), eodem anno 1476 «vicarius generalis et visitator unicus» (num. 69 ad annum 1476), 1483 «commissarius, visitator ac reformatior» (num. 75 ad annum 1483), 1492 «visitator generalis» (num. 80 ad annum 1491). Hi tituli singulos tantum visitatores dictis annis officio functos esse demonstrant.

Inde a 13. saeculo visitatores (antea circatores) ad visitationem plurium etiam territoriorum — circariarum delegabantur. Sic ante annum 1220 Gerlaco abbati Milocensi visitanda erat Bohemia, Moravia (de Austria nulla fit mentio!), Polonia et Hungaria, 1362 abbas Strahoviensis est «visitator in circaria Boemie, Polonie, Austrie et Moravie» (mentio circariae Bohemiae et Poloniae exprimit Bohemiam, Moraviam, Austriam unitam circariam fuisse, Poloniam vero propriam circariam), 1466 «regni Boemiae ac Moraviae Sclavoniaeque visitator annuus» etc. Bini interdum visitatores binas circarias visitabant (num. 20 ad annum 1301). At contra annis 1502 usque 1512 singulas partes circariae nostrae (quae ex Bohemia, Moravia, Austria constabat) bini aut terni visitatores inspiebant.

Intra annos 1378-1453 in documentis editis haud exigua lacuna spectatur, cuius causae schisma occidentale et bella Hussitica erant, quibus inde ab anno 1420 gradatim omnia monasteria in terris Bohemiae et Moraviae oppressa sunt. Cum Petrus abbas Praemonstratensis antipapae Clementis VII. anno 1378 electi partes secutus esset, commercia terrarum Bohemiae, Moraviae, Austriae in oboedientia Urbani papae VI. permanentium cum capitulo generali Praemonstratensi intermittebantur. Hic status sine dubio usque ad annum 1408 permanebat, quo Gallia oboedientiam alterius antipapae Benedicti XIII. in perpetuum recusavit. Anno 1415 (immo aliquot annis ante) commercia, quae Bohemica cum Praemonstrato habebat, feliciter renata esse videntur. Dicto anno Ioannes abbas Lucensis «triennis visitator a... domino Petro summo Premonstratensi et eius capitulo generali per circariam Boemie, Moravie et Austrie deputatus» memoratur (num. 53 ad annos 1412-1414). Documentum hoc et alia duo annis 1420 (num. 151) et 1440 (num. 54) orta sola in hoc tempore eminent vixque hiantem lacunam explere queunt. Neque tamen dubitamus, quin annis 1411-1423, quo

tempore abbas Praemonstratensis Petrus d'Hermi erat, terris nostris commercia cum capitulo generali fuerint, quamvis documenta annorum 1415 et 1420, de quibus supra diximus, sola exstant.

Temporis spatium ab anno 1453 usque ad annum 1541, qui est editionis nostrae terminus, tot documentis conspicuum est, ut nullo commentario indigeat.

Mazurská 519

Karel DOLISTA

CS-181 00 Praha 8-Trojo.

EDITIONES

Acta et decreta capitulorum generalium ordinis Praemonstratensis, ed. J.B. VALVEKENS, tom. I, Averbode 1966 sqq., tom. II, ibid. 1969 sqq., tom. III, ibid. 1973 sqq.

Bibliotheca Praemonstratensis ordinis, ed. J. LE PAIGE, Parisiis 1633

Codex diplomaticus et epistolaris regni Bohemiae, tom. I-II, ed. G. FRIEDRICH, Praegae 1904-1907, 1912, tom. V. ed. J. ŠEBÁNEK-S. DUŠKOVÁ, Praegae 1974, 1981. (= CDB)

Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae, tom. V. ed. Jos CHYTIL, Brunae 1850, tom. VI, ed. P. CHLUMECKY, Brünn 1854, tom. VII, ed. P. CHLUMECKY, Brünn 1858, tom. VIII, ed. V. BRANDL, Brünn 1874, tom. IX, ed. V. BRANDL, Brünn 1875, tom. X, ed. V. BRANDL, Brünn 1878, tom. XI, ed. V. BRANDL, Brünn 1885. (= CDM)

Das älteste Totenbuch des Praemonstratenser Chorfrauenstiftes Chotieschau (1200-1640), ed. B.F. GRASSL, Tongerlo 1931 (in: *Analecta Praemonstratensia* VII-1931, additamentum).

Fontes rerum Bohemicarum, tom. II, pars 2, ed. J. EMLER, Praegae 1875. (= FRB)

Formularium Praemonstratense II, ed. J.J. EVERS, Tongerlo 1932 sqq.

Isenburger Urkunden, Regesten zu Urkundenbeständen und Kopiarren der fürstlichen Archive in Birnstein und Büdingen 947-1500, bearbeitet von Friedrich BATTENBERG, Darmstadt/Marburg 1976.

Les Statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècle, ed. Pl.F. LEFÈVRE, Louvain 1946.

Les Statuts de Prémontré au milieu du XII^e siècle, ed. Pl.F. LEFÈVRE-W.M. GRAUWEN, Averbode 1978 (in: *Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*, fasc. 12).

Monumenta Vaticana res gestas Bohemicas illustrantia, tom. I: Acta Clementis VI. (1342-1352), ed. L. KLICMAN, Praegae 1903. Tom. II: Acta Innocentii VI. (1352-1362), ed. J.F. NOVÁK, Praegae 1907. Tom. III: Acta Urbani V. (1362-1370), ed. B. JENŠOVSKÝ, Praegae 1944-1954. (= MVB)

Necrologium Doxanense, ed. J. EMLER, Praegae 1884.

Obitorium canoniae Gerusenaee, ed. A.J. PFIFFIG, Wien 1980.

Regesta diplomatica nec non epistolaria Bohemiae et Moraviae. Pars II, ed. J. EMLER, Praegae 1882, pars III, ed. J. EMLER, Praegae 1890, pars IV, ed. J. EMLER, Praegae 1892, pars V, fasc. 1-2 ed. J. SPĚVÁČEK, Praegae 1958, 1960, pars VI, ed. B. MENDEL-M. LINHARTOVÁ, Praegae 1928, 1929, 1954, pars VII, ed. B. MENDEL-M. LINHARTOVÁ, Praegae 1954-1963. (= RBM)

Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, ed. C.L. HUGO, tom. I, Stivagii 1725.

Sacri et canonici ordinis Praemonstratensis annales, ed. C.L. HUGO, tom. I, Nanceii 1734.

Thesaurus anecdotorum (= Codex diplomatico-historico-epistolaris), tom. VI, pars II, opera et studio ... Bernardi PEZ, Augustae Vindelicorum et Graecii 1729.

Urkundenbuch der Abtei Steinfeld, ed. I. JOESTER, Köln-Bonn 1976.

Urkundenbuch des Landes ob der Enns, IV. Band, Wien 1867.

LITTERATURA

BACKMUND N., Monasticon Praemonstratense, tom. I², Berlin-New York 1983, tom. II, Straubing 1952, tom. III, Straubing 1956.

BISTRICKÝ J., Studien zum Urkunden-, Brief- und Handschriftenwesen des Bischofs Heinrich Zdík von Olmütz (Archiv für Diplomatik, Schriftgeschichte, Siegel- und Wappenkunde, 26. Band, 1980, pag. 135-258).

EUBEL C., Hierarchia catholica medii aevi, vol. II², Monasterii 1914.

GERITS T.J., Les actes de confraternité de 1142 et de 1153 entre Citeaux et Prémontré (Analecta Praemonstratensia XL-1964, pag. 193 sqq.).

HAGER E., Woher kamen die ersten Prämonstratenser nach Schlägl? Linz 1918.

LEFÈVRE Pl., L'emploi et la garde du sceau communautaire dans l'Ordre de Prémontré (Analecta Praemonstratensia xxxviii-1962, pag. 85-92).

PALME R., Die Abtwahl im Stift Wilten von der Gründung bis zur Beendigung des Exemptionsstreites (Analecta Praemonstratensia XLVIII-1972, pag. 20-42).

PRÖLL L., Geschichte des Prämonstratenser-Stiftes Schlägl, Linz 1877.

ŽÁK A., Das Stiftsarchiv in Geras (Mitteilungen des Deutsch-Österreichischen Archivrates III, Wien 1919, pag. 92-127).

ZERLIK A., Das Stift Tepl in der Zeit der Glaubensspaltung von 1521-1559
(*Analecta Praemonstratensia* xxxvii-1961, pag. 262-281).

ARCHIVA ET BIBLIOTHECAE

Archivum centrale status Pragae — Státní ústřední archiv Praha.
 Archivum regionale status Brunnae — Státní oblastní archiv Brno.
 Archivum regionale status Pilsnae — Státní oblastní archiv Plzeň.
 Archivum abbatiae Gerusenae — Stiftsarchiv Geras.
 Archivum abbatiae Plagensis — Stiftsarchiv Schlägl.
 Archivum ducale Birsteinense — Fürstliches Archiv Birstein.
 Archivum status — Hessisches Staatsarchiv Darmstadt.
 Archivum generale status — Nordrhein-Westfälisches Hauptstaatsarchiv Düsseldorf.
 Archivum generale status — Bayerisches Hauptstaatsarchiv München.
 Archivum generale status — Hessisches Hauptstaatsarchiv Wiesbaden.
 Archivum status — Staatsarchiv Würzburg.
 Bibliotheca abbatiae Strahoviensis Praha.
 Bibliotheca abbatiae Teplensis Teplá.
 Bibliotheca status Pragae — Státní knihovna ČSR Praha.

1

[ante 1142 oct. 9.]

Henricus episcopus Olomucensis a capitulo generali Praemonstratensi conventum fratrum pro noviter fundato monasterio Strahoviensi sibi exoptat.

Litterae deperditae, cf. FRB II, p. 485-486: «In diebus illis regnante in regno Romanorum rege Kunrado¹⁾ et in Boemia principante duce Sobeslao²⁾ Zdico qui et Heinricus³⁾, bonae memoriae Olomucensis episcopus, habitum nostrum, quem Hierosolymis viderat super sepulchrum vitae, suscepit⁴⁾... reportabat memorato duci et Bohemis sicut novum hominem ita et novum ordinem. Quo duce post in brevi defuncto⁵⁾ successor ipsius illustris Wladizlaus⁶⁾ nec non et uxor sua nobilissima Gertrudis⁷⁾ soror praedicti regis Kunradi succensi exemplo et exhortatione praefati episcopi novam ecclesiam novo condunt ordini erigentes fabricam venustissimam in monte Ztragow mutato nomine ipsius in montem Sion⁸⁾. Quibus optime cooperabatur idem episcopus... Postquam vero liquido comperit de institutione Praemonstratensis ecclesiae, quod inde initium ordinis, quod inde esset magisterium vitae regularis, illico habita deliberatione cum ipsis fundatoribus unanimi voto miserunt et de Steinveldensi⁹⁾ domo conventum postularunt... isti fundatores¹⁰⁾ ...porrigentes petitionem suam prius capitulo¹¹⁾ dein Steinveldensi ecclesiae, quod pie postulant, pleno comprehendunt effectum. Nam committitur Steinveldensi praeposito¹²⁾, ut negotium eorum promoveat et desiderata concedat...» Litterae ipsae post 22. maii 1142 scriptae esse

videntur, qua die Heinricus Zdik in monasterio Vindbergensi Bavariae commoratus sit ibidemque primum cum ordine Praemonstratensi notitiam contraxisset.

¹⁾ Conradus III. 1138-1152.

²⁾ Sobeslaus I. 1125-1140.

³⁾ Heinricus Zdik 1126-1150 iun. 25. + sepultus in Strahov.

⁴⁾ anno 1137.

⁵⁾ 14. febr. 1140.

⁶⁾ Vladislaus II. 1140-1174 ian. 18. + (ab anno 1158 rex Bohemiae, resignavit exeunte anno 1172, obiit 18. ian. 1174, sepultus in Strahov).

⁷⁾ Gertrudis †4. aug. 1150, sepulta in Strahov.

⁸⁾ Cf. BACKMUND, *Mon. I*, p. 378 sq.

⁹⁾ Cf. BACKMUND, *Mon. I*, p. 251 sq.

¹⁰⁾ Cf. notas 6 et 7 hic superius.

¹¹⁾ i.e. capitulo generali Praemonstratensi.

¹²⁾ Ebervinus 1126-1152.

2

[1142 oct. 9. Prémontré.]

Capitulum generale Praemonstratense Ebervino praeposito Steinveldensi susceptionem monasterii Strahoviensis noviter fundati committit.

Litterae deperditae, cf. litteras proxime praecedentes (num. 1) (Quo ad intitulationem et datum cf. etiam articulum T.J. GERITS, Les actes de confraternité de 1142 et de 1153 entre Cîteaux et Prémontré, AP XL (1964) pag. 202-203, ubi legitur: «... Hugo¹⁾ Premonstratensis abbas et generalis nostri capituli conventus... Actum est hoc anno incarnationis dominice M° C° XL° II° epacta XX^a, indictione V^a, concurrente III°, V idus octobris [= 1142 oct. 9.]».

¹⁾ Hugo I. abbas Praemonstratensis 1128-1161, res., + 1164.

3

[1142 oct. 9. Prémontré.]

Capitulum in Praemonstratensi colloquio congregatum Heinrico Zdik episcopo Olomucensi significat se exoptatum conventum ei mittere decrevisse, quem ei commendat.

Exstant duae copiae, una in codice anno 1416 scripto in bibliotheca capituli metropolitani Pragensis, num. G XXXI, cap. CLXXXXIII, fol. 113^v (B), alia in codice manuscripto saec. XV. exeuntis in bibliotheca capituli metropolitani Olomucensis, num. CO 464, fol. 211a (C). Edidit (usus tamen tantum versione B) G. Friedrich, Codex diplomaticus et epistolaris regni Bohemiae, tom. I, num. 133, p. 136, ubi etiam editiones vetustiores enumerantur. Editionem versionis (C) praeparavit Jan Bistřický in suo articulo Studien zum Urkunden-, Brief- und

Handschriftenwesen des Bischofs Heinrich Zdík von Olmütz publicato in Archiv für Diplomatik, Schriftgeschichte, Siegel- und Wappenkunde. 26. Band, 1980, pag. 135-258. Editio ipsa in pag. 234-235 ibid. Epistolam ad monasterii Strahoviensis ordini Praemonstratensi traditionem referri ex eo apparet, quod Gerlaci abbatis in Milevsko Chronicon ad annum 1184 de monasterii Strahoviensis origine narrat (FRB II, pag. 486).

Quo ad datum cf. litteras num. 2 hic proxime praecedentes.

Dei^{a)}) disposizione^{b)}) Moraviensis ecclesie merito sanctitatis reverendis-
simo^{c)}) episcopo¹⁾) humilis conventus in nomine domini in Premonstra-
tensi colloquio congregatus suas et omnium suorum^{d)}) fratrum oraciones.
Iuste ac religiose petitioni vestre a deo, ut credimus, inspirete devotus
assensus prebendus est ideoque, quod petistis^{e)}), nullatenus denegandum
est. Et quoniam deo annuente^{f)}) iuxta vestrum desiderium conventum
vobis mittere disponimus, precamur vestram sanctitatem, de qua super-
habundanter^{g)}) confidimus, quatenus eundem conventum manuteneatis,
diligatis, confoveatis. Enimvero^{h)}) quia¹⁾) presenciam vestram nostre hu-
militatis colloquio representare quandoque desideratis, deum, tocius
boni amatorem, exoratum habere preoptamus, ut id ipsum adimplere
opportune valeatis. Nos autem speramus¹⁾) in adventu^{m)}) tanti pontificis
atque tam religiosi spiritus sancti sufficienter etⁿ⁾) affluenter condonari.
Et vos et ea, que diligitis, in Christo valeatis.

^{a)} «D» rubro colore scriptum est C.

^{b)} «dispositione», hic et ubique «t» pro «c» scriptum est C.

^{c)} «reverentissimo» B.

^{d)} Sequitur «fratres», sed deletum B.

^{e)} «petitis» describentis incuria C.

^{f)} «animente» describentis incuria B.

^{g)} «superabundanter» C.

^{h)} Primo «Tamen vero» scriptum est, sed postea alia manu in margine «Enimvero» positum est B.

ⁱ⁾ «que» describentis incuria C.

^{j)} E «sperabamus» eadem manu correctum B.

^{m)} Sequitur «tali», sed punctis suppositis deletum B.

ⁿ⁾ «sufficienter et» omittitur B.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 1.

[circa 1150]

Hugo abbas Praemonstratensis Heinricum episcopum Olomucensem aegrotantem consolatur eique abbatem Siloensem commendat.

Copia manu saec. XII. ex. in codice ms. bibliothecae Status Vindobonae num. 219 (Rec. 2271) fol. 1. Cf. editionem in CDB I, num. 164, pag. 169-170.

Religiosissimo patri deoque propicio Olomucensi episcopo H.¹⁾ H.²⁾ Premonstratensis cum suis visitari et consolari divinitus. Dilecto vestro filio Syloensi abbate³⁾ referente, iugiter et graviter egrotare vos audivimus et, quantum fas est, indoluimus. Nam si aliter afficeremur, merito minus vos diligere argueremur secundum illud domini responsum ad discipulos pari de causa contristatos: Si diligeretis me, gauderetis utique⁴⁾ et cetera. Dolemus tamen non ob corporalem molestiam, quam patimini, que vobis est preparacio et quasi quidam transitus ad requiem, paciencia siquidem necessaria^{a)} est, ut reportetis remunerationem, sed propter pauperum Christi et precipue eorum, qui in Boemia degunt, desolacionem. Illos quippe vos adduxistis et actenus dilexistis, immo verus imitator Christi usque in finem diligere et, ubicumque opus fuerit, eis debetis providere. Inter quos dilectum filium nostrum et vestrum Syloensem abbatem specialiter paternitati vestre refovendum commendamus, quatinus ducem Boemicum⁵⁾ et episcopum⁶⁾ nepotem vestrum, sibi et fratribus suis eandem sollicitudinem, quam vos vestris exhibetis, impendere ammoneatis. Valete, et de adventu vestro, quem ex multo iam tempore desideravimus, quam diu vobis superest halitus^{b)}, non desperabimus.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 1.

²⁾ Hugo I. abbas Praemonstratensis 1128-1161 res., + 1164.

³⁾ Godescalcus 1149-1184+ (Syloe, Siloe = Želiv in Bohemia).

⁴⁾ Joannes, XIV, 28.

⁵⁾ Cf. notam. 6 num. 1.

⁶⁾ Daniel I. episcopus Pragensis 1148-1167.

^{a)} «ri» eadem manu superscriptum.

^{b)} «h» superscriptum.

[1181 ante oct. 9.]

Wilhelmus¹⁾ de Pulin a capitulo generali Praemonstratensi conventum sororum pro noviter fundato monasterio Cunicensi sibi exoptat.

Litterae deperditae, cf. FRB II, p. 476-477: «Anno dominice incarnationis MCLXXXI. Erat in Moravia quidam comes nomine Wilhalmus... in vastatione Austriae³⁾ manus non continuerat ab incendiis ecclesiarum dei... Romam adiit⁴⁾ et secreta cordis sui domno papae⁵⁾ aperuit, qui iussit ut claustrum construeret

et religiosas personas domno servituras adunaret. Quod ille diu licet dilatum tali...ordine isto in anno [=1181] perduxit ad effectum...abiit eodem anno sanctus ille abbas Gotschalkus⁶⁾ in Franciam ad capitulum Praemonstratense... cum literis praefati domni Wilealmy. Quae dum recitarentur patribus, petitionem viri clementer exaudiverunt et loci eius susceptionem praedicto domno Gotschalko commiserunt...».

¹⁾ *Wilhelmus de Pulin* (Pulín=Pavlov apud Mikulov in Moravia australi) fundator monasterii sororum Cunicensis commemoratur tantum annis 1176-1185 (cf. FRB II, p. 476-477, 483 et 507).

²⁾ Kounice (hodie Dolní Kounice) in districtu politico Brno, in Moravia.

³⁾ Anno 1176, cf. FRB II, p. 471.

⁴⁾ Ergo post 1176.

⁵⁾ *Alexandro papae III. 1159-1181.*

⁶⁾ Cf. notam 3 num. 4.

6

[1181 oct. 9. Prémontré.]

Capitulum generale Praemonstratense Godescalco abbati Siloensi susceptionem monasterii Cunicensis noviter fundati committit.

Litterae deperditae, cf. litteras praecedentes.

7

1218 maii 4. Prémontré.

Gervasius abbas Praemonstratensis abbates Vilhelmum de Teplá et Hermannum de Litomyšl visitatores monasterii Strahoviensis instituit.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tom. I, num. LXXVIII, pag. 72. In copia certe non sine superscriptione. In editione C.L. Hugonis: Abbates Teplensem et Lutomissensem [!] visitatores monasterii constituit Gervasius.

Gervasius¹⁾ dei patientia Praemonstratensis dictus abbas venerabilibus in Christo fratribus Wilhelmo²⁾ de Tepla et Hermann³⁾ de Lutomissel abbatibus salutem et sinceram in domino charitatem. Quam sincero affectu venerabilem in Christo fratrem A [dam]^{a)}⁴⁾ abbatem [Montis Syon]^{b)} dilexerimus usque modo novit deus, cui nihil occultum et ipsa etiam operis exhibitio comprobavit, ipsi scitis. Nuper autem venit ad nos frater Wilhelmus⁵⁾ eiusdem loci canonicus cum litteris testimonialibus fide dignis et conquestus est, quod praedictus abbas ipsum de

servitio domini P[ragensis]^{c)} episcopi, qui persecutionem patitur propter iustitiam et cum litteris ipsius episcopi revertentem recipere recusaret, propter quod et supplicavit, ut eum recipi faceremus. Cum igitur scripsimus eidem abbati et conventui suo rogando, monendo, mandando, praecipiendo, ut praedictum Wilhelmum collegio suo aggregare curarent, fraternitati vestrae mandamus et in virtute obedientiae districte praecipimus, quatenus si idem abbas et conventus mandato nostro contempserint obedire, vos saepedictum Wilhelmum autoritate ordinis atque nostra recipi faciatis et charitative tractari iniuncta ei aliqua moderata satisfactione propter ordinis honestatem, si inveneritis eum in aliquo deliquisse. Ceterum licet dictum abbatem diligamus plurimum, sicut praediximus et honoraverimus usque modo et intendamus eum in posterum in quantum cum deo poterimus honorare, quia tamen deo praecipue sumus debitores, volumus et sub praefata districtione praecipimus, quatenus ad ecclesiam [Montis Syon]^{b)} personaliter accedentes inquiratis de statu interiori et exteriori plenarie veritatem et depositiones fratrum redactas in scriptis sub sigillis vestris nobis ad generale capitulum transmittatis inclusas, ut habeamus unde vel possimus excusare et absolvere innocentiam hominis accusati iniuste vel unde debeamus, quod absit, gladium ultionis exercere contra ipsum, ne dominus papa⁷⁾, qui est caput universalis ecclesiae, negligentiam ordinis atque nostram corrigi faciat per diligentiam aliorum. Datum Praemonstrati anno gratiae millesimo ducentesimo decimo octavo quarto nonas maii.

a) A. in editione C.L. Hugonis.

b) N. *ibidem*.

c) P. *ibidem*.

¹⁾ Gervasius abbas Praemonstratensis 1209-1220.

²⁾ Wilhelmus abbas Teplensis 1218-1219.

³⁾ Hermannus abbas Litomyslensis 1218-1221.

⁴⁾ Adam abbas Strahoviensis — Montis Sion 1218-1219.

⁵⁾ Wilhelmus canonicus Strahoviensis commemoratur tantum hoc anno 1218 et circa 1220 (CDB II, num. 205).

⁶⁾ Andreas episcopus Pragensis 1214-1224.

⁷⁾ Honorius III. papa 1216-1227.

[Post 1218 maii 4. Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis Ottocaro regi Bohemiae pro Adamo abbate Strahoviensi intercedenti respondet.

Originale deperditum; copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tom. I, num. XCIX, pag. 88. In copia forsan cum superscriptione. In editione C.L. Hugonis: Ottocaro regi Bohemiae pro abbate Montis Syon intercedenti respondet Gervasius.

[Illustri domino et in Christo charissimo Ottocaro¹⁾ dei gratia regi Bohemiae Gervasius²⁾ eiusdem patientia Praemonstrati dictus abbas salutem et cum orationibus paratam ad obsequia voluntatem]^{a)}. Porrectas nobis litteras serenitatis vestrae per quendam Nicolaum canonicum³⁾ Montis Syon⁴⁾ suscepimus ea reverentia et veneratione, qua decuit et quae continebantur in illis legimus ac notavimus diligenter. Siquidem commendastis in eisdem dilectum in domino Adam⁵⁾ abbatem Montis Syon utpote virum providum, mansuetum, benignum et domui suae utilem provisorem, sed a subiectis suis, qui malevole quaerunt eludere ordinis disciplinam, apud nos ideo falsis accusationibus impetum, quia propter distantiam terrarum facilius potest rei veritas nos latere quam illos, qui habitant in vicino. Ad quod vestrae praeeminentiae respondemus, quod cum dominum papam, qui homo est sicut et nos, lateat veritas super multis, quae etiam in regionibus diversis ac remotis aguntur, qui tamen in loco suo habitat fidem adhibens referentibus fide dignis, non debetis mirari si nobis licet modicis respectu ipsius constet de veritate multorum, quae sunt in ordine Praemonstratensi, licet ad singula loca, quorum statum facimus inquiri per alios nequaquam personam accedamus, speramus autem in domino, quod cum cognoveritis quam sincere dilexerimus personam abbatis et quamdiu pepercerimus ei compescentes omnes obloquentes eidem donec nos vinceret conquerentium multitudo et honestas referentium, quibus oportuit digne credi, favorem vestrum et illustris viri H.⁶⁾ marchionis Moraviae fratris vestri, quem dicitis domui illi et aliis nostri ordinis subtrahendum, nisi detrahentibus illi silentium imponatur, non modo non subtrahetis, sed ampliabitis deo dante cum videritis ordini nostro tantum inesse vigoris, rigoris et zeli, ut quantumlibet magnos puniat, si inventi fuerint ordinis transgressores nec tamen hoc dicimus ideo quod dictum abbatem gravare citra iustitiam intendamus, sed potius ad preces vestras deferre eidem, in quantum poterimus salva conscientia et ordinis honestate. Volumus autem praeeminentiam vestram nosse quod licet saepedictus abbas a vobis fuerit plurimum commendatus, multum tamen et famae et causae eius detrahit vestrarum portitor litterarum qui comparentibus contra eum duobus de domo sua fratribus⁷⁾ coram nobis disparuit, quia male sibi conscius et recessit nec data sibi licentia nec petita^{b)}.

a) «Illustri... voluntatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

b) Datum in editione C.L. Hugonis deest.

1) Ottocarus rex Bohemiae (etiam Premysl dictus) 1198-1230.

2) Cf. notam 1 num. 7.

3) Cf. notam 9 num. 11, ubi Nicolaus cellarius appellatur.

4) Mons Sion = Strahov.

5) Cf. notam 4 num. 7.

6) Vladislaus Henricus marchio Moraviae 1197-1222.

7) Nemepe Theobaldo et Conrado, cf. notas 4 et 5 num. 10.

9

[Post 1218 maii 4. Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis Henrico marchioni Moraviae pro Adamo abbate Strahoviensi intercedenti respondet.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tomus I, num. C, pag. 89. In copia cum superscriptione: Gervasius Henrico marchioni Moraviae fratri Otacri [I] regis Bohemiae. In editione C.L. Hugonis: Respondet Gervasius Henrico marchioni Moraviae fratri Ottacari II. regis pro eodem abbate Adamo intercedenti.

[Illustri domino et in Christo charissimo Henrico¹⁾ marchioni Moraviae Gervasius²⁾ Praemonstrati dictus abbas salutem et cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem]^{a)}. Porrectas nobis litteras serenitatis vestrae per quendam Nicolaum³⁾ canonicum Montis Syon⁴⁾ suscepimus ea reverentia et veneratione, qua decuit et quae continebantur in illis legimus ac notavimus diligenter. Siquidem commendastis in eisdem dilectum in domino Adam⁵⁾ abbatem Montis Syon, utpote per quem rite et recte administratur ecclesia sibi commissa, sed a domino Pragensi episcopo⁶⁾ gravibus ideo iniuriis lacescit, quod apud illustrem O.⁷⁾ regem Bohemiae fratrem vestrum cuius fideles idem episcopus gravat ubique, propterea prout potest gratiam creditur invenisse. Noverit igitur praeeminentia vestra quod si dicti rex et episcopus sint discordes, nos in neutrius favorem interponimus partes nostras, sed oramus pariter pro utroque, ut pax Christi exultet in cordibus eorundem, ita ut et de charitate mutua et de subiectis sibi bonam possint coram deo reddere rationem. Sed cum de dicto abbate nobis aliqua referuntur, quae vel tangunt ordinem vel in suae cedunt ecclesiae laesionem, non permittit nos conscientia nostra surdis auribus praeterire, quin de auditis faciamus inquiri diligentius veritatem et puniamus secundum deum et ordinem vel praevaricatorem abbatem vel relatores mendaces cum nos, qui sumus

omnibus Praemonstratensem ordinem profitentibus debitores, non deceat habere pondus et pondus in dictandis sententiis vel iudiciis proferendis. Cum autem dictum abbatem^{b)} [gravare citra iustitiam [non]^{c)} intendimus^{d)}], sed potius ad preces vestras deferre eidem in quantum poterimus salva conscientia et ordinis honestate. Volumus autem praeminentiae vestrae nosse, quod licet saepedictus abbas a vobis fuerit plurimum commendatus, multum tamen et famae et causae eius detrahit vestrarum portitor litterarum, qui comparentibus contra eum duobus de domo sua fratribus^{g)} coram nobis disparuit, quia male sibi conscius et recessit nec data sibi licentia nec petita^{e)}).

^{a)} «Illustri...voluntatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

^{b)} In editione C.L. Hugonis post «abbatem» sequitur «etc. ut supra».

^{c)} «non» suppletum ab editore (K.D.).

^{d)} «intendimus» mutatum ab editore (K.D.) ex «intendamus», quod legitur in loco paululum differenti in epistula num. XCIX editionis C.L. Hugonis (=num. 8 nostrae editionis).

^{e)} «gravare...petita» suppletum secundum litteras num. XCIX. editionis C.L. Hugonis. Datum deest.

¹⁾ Cf. notam 6 num. 8.

²⁾ Cf. notam 1 num. 7.

³⁾ Cf. notam 3 num. 8.

⁴⁾ Mons Sion=Strahov.

⁵⁾ Cf. notam 4 num. 7.

⁶⁾ Cf. notam 6 num. 7.

⁷⁾ Cf. notam 1 num. 8.

⁸⁾ Cf. notam 7 num. 8.

10

[Post 1218 maii 4. Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis Agneti abbatisae sancti Georgii in castro Pragensi pro [Adamo] abbate Strahoviensi intercedenti respondet.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, *Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tomus I, num. CI, pag. 89-90. In copia cum superscriptione: Agneti abbatisae sancti Georgii sorori regis Bohemiae. In editione C.L. Hugonis: Agneti abbatisae sancti Georgii et sorori regis in gratiam eiusdem abbatis intervenienti respondet Gervasius.*

[Venerabili et dilectae in Christo matri Agneti¹⁾ abbatisae sancti Georgii Gervasius²⁾ Praemonstrati dictus abbas salutem et sinceram in domino charitatem]^{a)}. Recepimus nobilitatis vestrae litteras, in quibus

pro abbate³⁾ Montis Syon nos rogastis, quem utique virum bonum creditis et honestum. Continebatur autem in ipsis litteris, quod fratres illi Theobaldus⁴⁾ scilicet et Conradus⁵⁾, qui apud nos accusaverunt patrem suum, alter de vestro alter vero de alieno quodam clauastro duas abduxerint moniales. Sustineat itaque reverentia vestra, ut, si vera sunt, quae asseruntur a vobis, ex evidentissima ratione minus commendabilem iudicemus, quem nobis attentius commendastis, abbatem praedictum, de quo quidem manifestum se porrigit argumentum, quod ceterorum subiectorum suorum male alligaverit alas vinculis disciplinae aut custodia magistrali, qui transgressoribus memoratis tam pernitiouse evagandi tribuit libertatem, ut passim per claustra religiosarum feminarum discurrant in dispendium honestatis. Verum licet administrationi sibi creditae in spiritualibus et temporalibus ipsum inutilem noverimus et insufficientem omnino, ne tamen putetis, quod illustrium dominorum O.⁶⁾ regis Bohemiae et H.⁷⁾ marchionis Moraviae fratrum vestrorum vestrasque simul preces et litteras admittere recusemus, intuitu vestrae magnificentiae et gratiae noveritis vos, noverint et illustrissimi fratres vestri, nos tantum pro nominato abbate facturos, dummodo non sufficienter imo mediocriter valeat excusari, quod in parte, ut credimus, laedi oporteat et nostram et ordinis honestatem, vellemus autem summopere quod ad fratrum vestrorum non ambigimus pertinere praesens commodum et futurum, quatenus quae ex liberali eorum munificentia ecclesiae Montis Syon sunt collata aut instanter expeterent aut saltem cum benevolentia sustinerent prudenti ac discreto dispensatori committi^{b)}).

a) «Venerabili...charitatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

b) Datum deest.

1) Agnes, abbatissa O.S.B. monasterii s. Georgii in castro Pragensi 1200-1228.

2) Cf. notam 1 num. 7.

3) Cf. notam 4 num. 7.

4) Theobaldus, frater monasterii Strahoviensis, cf. notam 7 num. 8.

5) Conradus frater monasterii Strahoviensis, cf. notam 7 num. 8.

6) Cf. notam 1 num. 8.

7) Cf. notam 6 num. 8.

[Post 1218 maii 4. — 1219 —, Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis Wilhelmo abbati de Teplá praecipit, quae ab eo, utpote suo commissario sint agenda in monasterio Strahoviensi circa priorem et suppriorem amotos etc.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tomus I, num. CII, pag. 90-91. In copia cum superscriptione: Gervasius Wilhelmo abbati de Tepla. In editione C.L. Hugonis: Gervasius abbati Teplae praecipit, quae ab eo utpote suo commissario sint agenda in monasterio Montis Syon circa priorem et suppriorem amotos etc.

[Gervasius¹⁾ dei patientia Praemonstrati dictus abbas venerabili in Christo fratri Wilhelmo²⁾ abbati de Tepla salutem et sinceram in domino charitatem]^{a)}. Cum significatum sit nobis quod in ecclesia Montis Syon³⁾ quidam fratres a suis oboedientiis sint amoti occasione inquisitionis quam per vos et collegam vestrum⁴⁾ fieri fecimus in eadem, discretioni vestrae praesentium autoritate mandamus atque praecipimus, quatenus ad dictum locum personaliter accedentes priorem⁵⁾ et suppriorem⁶⁾ qui dicuntur amoti et omnes alios perturbatos occasione praedicta in gradum pristinum restitui faciatis necnon et dilectos filios Theobaldum⁷⁾ et Conradum⁸⁾, qui ad nos venerunt ex parte conventus, faciatis benigne recipi et charitative tractari omnes quoque illos, quos cognoveritis in oboedientiis suis damnosos amoveri ab eis et institui alios in eisdem donec nobis super dicta fuerit inquisitione responsum. Specialiter autem praecipimus fratrem Nicolaum⁹⁾ cellarium amoveri, quem intelleximus loco suo non tantum esse inutilem, sed damnosum. Ipse vero veniens Praemonstratum, ut abbatem suum¹⁰⁾ super impositis sibi ostenderet innocentem in hoc et causam et famam dicti abbatis non modice peioravit, quod comparentibus contra eum dictis Theobaldo et Conrado fratribus coram nobis evanuit ab oculis nostris velut male sibi conscius et disparens recessit nec data licentia nec petita. Cum eo etiam praecipimus amoveri fratrem G.¹¹⁾ qui moratur apud sorores de Dochan [!]¹²⁾, si tamen intellexeritis, quod se et famam suam custodierit minus caute, sane omnes illos quos in his vel in aliis horum contradictores inveneritis vel rebelles excommunicationis sententiae districtissime supponatis nullius formidantes personam, nullius metum habentes prae oculis nisi dei^{b)}.

^{a)} «Gervasius...charitatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

^{b)} Datum deest.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 7.

²⁾ Cf. notam 2 num. 7.

³⁾ Mons Sion = Strahov.

⁴⁾ i.e. Hermannum abbatem de Litomyšl, cf. notam 3 num. 7.

⁵⁾ nomen ignoratur.

⁶⁾ itidem.

⁷⁾ Cf. notam 7 num. 8 et notam 4 num. 10.

⁸⁾ Cf. notam 7 num. 8 et notam 5 num. 10.

⁹⁾ Cf. notam 3 num. 8 et notam 3 num. 9.

¹⁰⁾ Cf. notam 4 num. 7.

¹¹⁾ Ignoratur quisnam sit. Forsan Guntherus, qui commemoratur anno 1226 sicut praepositus Doxanensis?

¹²⁾ Doksany in Bohemia.

12

[1219. — Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis scribit priori et suppriori monasterii Strahoviensis quid lite pendente agere debeant.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo. Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tomus I, num. CIII, pag. 91-92. In copia cum superscriptione: Gervasius priori et suppriori Montis Syon. In editione C.L. Hugonis: Priori et suppriori Montis Syon a suo abbate motis officio scribit Gervasius, quid lite pendente agere debeant.

[Gervasius¹⁾ dei patientia Praemonstrati dictus abbas dilectis in Christo filiis... priori²⁾ et...suppriori³⁾ Montis Syon⁴⁾ salutem et sinceram in domino charitatem]^{a)}. Recepimus litteras devotionis vestrae, quas nobis per dilectos vestros Th.⁵⁾ et C.⁶⁾ concanonicos vestros mittere curavistis et eas penes nos conservamus tempore opportuno, si opus fuerit, proferendas. Ut autem taceamus multa in ipsis litteris comprehensa, quae non habent locum ad praesens, hoc solum volumus memoriter vos tenere quod in calce earum petebatur ex parte vestra, ne adhiberemus fidem quibusdam litteris praeterito anno⁷⁾ dictatis, donec reciperemus vel certos nuntios venerabilium in Christo fratrum Wilhelmi⁸⁾ de Tepla et Hermanni⁹⁾ [de]^{b)} Lutomisel abbatum vel ipsos abbates facie ad faciam videremus, qui ad inquirendum ecclesiae vestrae statum constituti fuerunt examinatores a nobis. Quia vero petitio ipsa videbatur esse conveniens rationi, admisimus eam benigne et suspendimus totum negotium usque ad instans capitulum generale¹⁰⁾ nec acquievimus fratri Nicolao¹¹⁾, qui praevenerat nuntios vestros cum litteris memoratis, nisi in eo solo, quod per ipsum et per litteras illustribus et charissimis in Christo domino O.¹²⁾ regi Bohemiae et H.¹³⁾ marchioni Moraviae, qui nobis pro dilecto nostro Adam¹⁴⁾ abbate vestro scripserant, voluimus respondere, si idem Nicolaus ipsas litteras voluisset expectare. Qui visis nuntiis vestrias subito et clanculo a facie nostra disparuit et recessit. Nunc vero quia solliciti sumus de statu ecclesiae vestrae diu et adhuc sumus et

etiam erimus, donec veritas illucescat, ita ut ea cognita possimus reprimere male agentium potestatem et illos absolvere, qui opprimuntur iniuste, devotionem vestram monemus et attentius exhortamur in domino, quatenus insistatis attentis et devotis orationibus apud deum, ut concedat nobis in spiritu sancto recta sapere et ea, quae iusta fuerint de fratrum et coabbatum nostrorum consilio iudicare nec aliquis vestrum contra ecclesiae vestrae praelatum irreverenter interim insolescat salvo tamen eo quod bona ecclesiae vestrae, quantum in vobis erit et in quantum vestra possibilitas se extendet, interius et exterius conservetis illaesa. De ordinis observantia sitis solliciti, ita ut omnes tam obedientiarum quam alii simul iaceant in dormitorio, comedant in refectorio et sedeant etiam quandoque legentes in claustrum, restrictius se habentes, quasi ecclesia vestra plena pace gauderet, ne obiciatur vobis ab aemulis vestris quod ad hoc suscitetis lites, ut possitis excutere obedientiae iugum et effugere ordinis disciplinam. Praeterea si praedicti nuntii vestri pro necessitate supplendi expensas necessarias viae suae contraxerint aliquod debitum moderatum, faciatis illud sine difficultate persolvere. Porro si qui fuerint inter vos usque adeo inordinate ambulantes sive canonici sive laici, ut etiam portent arma vel de nocte vel de die exeant extra terminos sibi praefixos vel extra infirmitorium cum infirmi fuerint et licentiam habuerint vesci carnibus non formident, tales omnes haberi volumus a vobis tamquam ethnicos et publicanos et vel ab ecclesia omnino expelli vel ut misericorditer agatur cum eis, infra ecclesiam arctiori custodia deputari et debita poena puniri. Ad hoc si aliqui fuerint, qui faciant de incontinentia sua vel aliquo alio criminali scandalum volumus ut sicut fit apud nos ita apud vos generaliter observetur videlicet ut tales omnes sive convincantur aut confiteantur sive non dummodo scandalum sit de ipsis, emittantur a domo ad ecclesias remotas, ut in illis sub gravi poenitentia moraturi per longum tempus utpote per biennium aut triennium ad minus, donec totum scandalum conquiescat. Verum si fuerit tam grave, quod factum non possit sine aliqua tergiversatione negari et apud honestas personas et graves fuerit divulgatum, eiiciantur ab ecclesia in habitu saeculari nec recipiantur de cetero sine praecepto capituli generalis aut nostro. Valete^{c)}.

^{a)} «Gervasius...charitatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

^{b)} «de» deest in editione C.L. Hugonis, forsitan deerat etiam in copia nempe in codice Steinfeldensi.

^{c)} Datum deest.

¹⁾ Cf. notam 1 num. 7.

²⁾ Cf. notam 5 num. 11.

³⁾ Cf. notam 6 num. 11.

⁴⁾ Mons Sion = Strahov.

⁵⁾ Cf. notas 7 num. 8, 8 num. 9, 4 num. 10 et 7 num. 11.

⁶⁾ Cf. notas 7 num. 8, 8 num. 9, 5 num. 10 et 8 num. 11.

⁷⁾ Quae litterae sint, nescitur.

⁸⁾ Cf. notam 2 num. 7.

⁹⁾ Cf. notam 3 num. 7.

¹⁰⁾ Id est 9.-11. oct. 1219?

¹¹⁾ Cf. notam 3 num. 8.

¹²⁾ Cf. notam 1 num. 8.

¹³⁾ Cf. notam 6 num. 8.

¹⁴⁾ Cf. notam 4 num. 7.

13

[1217 maii 10. — 1220 dec. 20. Prémontré.]

Gervasius abbas Praemonstratensis [Gerlacum] abbatem de Milevsko visitatorem et reformatorem monasteriorum in Bohemia, Moravia, Polonia et Hungaria instituit.

Originale deperditum, copiam ex codice monasterii Steinfeldensis hodie etiam deperdito edidit C.L. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tomus I, num. CXIX, pag. 106-107. In copia cum superscriptione (teste editore C.L. Hugone): Abbati Milovicensi Gervasius. (Quia haec forma «Milovicensi» demum in saec. XVI prima vice occurrit = in forma «Mileucensi» in litteris paparum Avenionensium in saec. XIV, — forsán legendum esset «Mileucensi» vel «Milevicensi», quae formae pro saeculo XIII concedendae sunt). In editione C.L. Hugonis: Abbatem Milovicii visitatorem et reformatorem monasteriorum Bohemiae, Moraviae et Hungariae constituit.

[Gervasius¹⁾ dei patientia Praemonstrati dictus abbas venerabili in Christo fratri Gerlaco²⁾ abbati de Mileusc³⁾ salutem et sinceram in domino charitatem]^{a)}. Rumores, quos audimus frequenter de personis et ecclesiis nostri ordinis in Bohemia, Moravia et Polonia⁴⁾ constitutis, grave super nos doloris et sollicitudinis onus inducunt, eo quod pauci inveniantur aut nulli qui adhibitas infirmitatibus admonitionis et obsecrationis et correctionis sentiant medicinas. Misimus visitatores et correctores non semel sed pluries, de quibus ita contigit, si fideles habuimus relatores, quod vel commissum eis officium neglexerunt vel ab illis, ad quos fuerunt missi, cum condigna admissi reverentia non fuerunt. Proin omnibus aliis commissionibus, quas fecimus temporibus retroactis, quarum executio adhuc pendet, penitus revocatis, fraternitati vestrae mandamus et in meritum obedientiae districte iniungimus, quatenus accito vobiscum aliquo nostri ordinis abbate, quem ad hoc iudicatis idoneum, ecclesiam vestram propriam in primis et postmodum singulas

ecclesias ordinis nostri in Bohemia et Moravia constitutas singillatim personaliter visitare curetis et corrigere in eisdem quecunque secundum deum et ordinis honestatem iudicaveritis corrigenda, potestatem super hoc auctoritate ordinis atque nostra plenariam habituri tam in capite quam in membris nec respiciatis gratiam personarum, sed quanto diutius expectata est infirmantium in moribus correptio, quae non venit, tanto severiorem ubicunque opus fuerit, sentiant disciplinam ita quod diligentia vestra in omnipotentis dei honorem et honestatem ordinis convertatur. Quod ipsum etiam in ecclesiis Poloniae et Hungariae per vos fieri vellemus si posset eo tenore, quod si de finibus vestris nequiveritis sine gravi dispendio exire, liceat vobis sub praesentium litterarum testimonio committere cuilibet alio vices vestras, dum tamen persona sit talis, quod de ipsius zelo et discretione sufficienter fidere debeatis. Sane quia crimen proprietatis in partibus vestris usque adeo invaluisse assertitur, ut quidam dicunt, non esse proprium, si quid datum fuerit eis vel a parentibus vel a familiaribus vel quod laboribus manuum suarum acquiritur vel quod mercimoniis augmentatur. Miramur plurimum, qua caecitate seducti aliqui nutriti in ordine ad tantum errorem devenerint, ut hoc dicant, cum audierint in regula beati Augustini quae legi debet eis singulis septimanis, haec verba: Nemo sibi⁵⁾ etc. et alibi: Omnia opera vestra in unum fiant maiori studio et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis propria faceretis⁶⁾ et in sequenti capitulo, quod sic incipit: Consequens ergo est⁷⁾ etc. de rebus collatis prohibet manifeste, ne recipiantur occulte subiungens quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur⁸⁾ et in Actibus apostolorum⁹⁾ legitur de Anania et Saphira quod quia prius acquisita cum coram apostolorum principe renuntiarent propriis, temere occulturn, subitanea morte ad increpationem Petri sunt percussi. Per praedictas autem auctoritates et multas alias satis patet, quod undecunque res proveniant ei, qui renuntiavit propriis, intelligendum est, quod acquiritur ecclesiae non personae et reduci debet protinus in commune, ut a praelato, cui necessarium fuerit, tribuatur. Cum igitur fures et proprietarii singulis annis excommunicentur in generali capitulo et denunciari debeant in singulis ecclesiis ordinis cum infamatoribus, conspiratoribus, falsariis et incendiariis eidem vinculo subiacerent¹⁰⁾, advertant miseri et miserabiles, in quanto periculo versati fuerint usque modo, qui vel in excommunicatione susceperint sacros ordines vel praesumpserint fungi susceptis, qui omnes procul dubio irregulares sunt et in criminali peccato nec celebrare debent aut possunt nisi dispensetur misericorditer circa ipsos. Cum autem contineatur in

institutionibus¹¹⁾, quod proprium dicimus, quidquid habetur contra vetitum vel sine debita ilicentia, mandamus vobis quotquot inveneritis praefato crimine irretitos, denuntietis excommunicationis vinculo innodatos nec ipsos nisi valde humiliter petierint veniam absolvatis irregularitate mansura donec circa eos fuerit dispensatum. Credimus autem quod circa eos, qui non fuerint in erroris sui defensione hactenus pertinaces, a nobis possunt absolvi ex indulgentia domini Honorii¹²⁾ cuius transcriptum cum transcripto cuiusdam alterius indulgentiae vobis duximus transmittendum. Ceterum, quia claustra sororum a quibusdam tam clericis quam conversis in partibus vestris nimis licite frequentantur, ita ut discurrant per officinas et confabulentur cum eis seminantes verbum diaboli et non dei mandantes vobis in virtute obedientiae districte praecipimus, quatenus familiaritatem illam omni sollicitudine, qua poteritis extirpetis sub interminatione gravis poenae districtius inhibentes, ne aliquis frequentet grangias sive curtes, in quibus sorores habitant nisi ipsum ad hoc alicuius negotii exequendi necessitas manifesta deducat. Illi autem, qui pro diversis officiis certam habent in sororum domibus mansionem, claustrum earum non intrent nisi duabus de causis, videlicet ut vel administrent infirmantibus ecclesiastica sacramenta vel ut ordinent aedificia reparanda vel facienda de novo. Vestram itaque fraternitatem obsecramus in domino et coram domino, cuius conspectum opera vestra latere non possunt, quatenus circa praedictorum executionem eam diligentiam impendatis, unde possitis et debeatis iusti iudicis, qui non decipitur et etiam hominum deum diligentium gratiam promereri, habitori in praedictis perpetuam potestatem, donec fuerit revocata vel a generali capitulo vel a nobis. Datum^{b)}).

a) «Gervasius...charitatem» suppletum secundum alias litteras abbatis Gervasii.

b) Post «Datum» deest proprium datum huius epistulae.

1) Cf. notam 1 num. 7.

2) Gerlacus abbas Milocensis 1187-1227/1228.

3) Milevsko Haec forma reconstructa est secundum catalogos Ninovensens I et II. Cf. pag. II praefationis!

4) Hoc in loco nulla mentio fit Hungariae, quae autem postea in eisdem litteris nominatur.

5) Nemo sibi aliquid operetur, ex regula s. Augustini.

6) Omnia opera...propria faceretis, *ibidem*.

7) Consequens ergo est, ut etiam cum quis suis filiis aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiat, sed sit in potestate praepositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, praebeatur. *Ibidem*.

8) Quod si...iudicio condemnatur. *Ibidem*.

9) Act. apost. 5, 1-11.

¹⁰⁾ *Statuta saeculi 12. et initii saeculi 13. de excommunicatione in generali capitulo et denuntiatione in singulis ecclesiis non multum dicunt.*

¹¹⁾ *Unde hoc «proprium dicimus quidquid habetur contra vetitum vel sine debita licentia» depromptum sit, nullo modo investigari potuit.*

¹²⁾ *Sine dubio intelliguntur hic litterae Honorii papae III. 1217 maii 10. Laterani datae «Cum sis pater omnium» (cf. J. Le Paige, Bibl. Praem. ord. p. 649 erronee sub anno 1216). Consequenter ergo «terminus post quem» nostrarum litterarum num. 13 est dies 10. maii 1217, «terminus ante quem» vero dies 20. dec. 1220, quo Gervasius abbas Praemonstratensis factus est episcopus Sagiensis (EUBEL² p. 427). De illa altera indulgentia certi non sumus quid hic intelligi debuerit.*

14

[1265 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Joannem abbatem Strahoviensem et Theodericum abbatem Lucensum visitatores annuos circariorum Bohemiae et Moraviae (aut iam unitae circariae Bohemiae?) instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1266 apr. 23. datas (CDB V, num. 469, p. 691-692): «... cum nos Johannes¹⁾ dei paciencia abbas ecclesie Montis Syon cum collega nostro domino Theodrico²⁾ abbate Lucensi visitaremus ecclesiam Gradiensem³⁾, nostram filiam specialem, auctoritate domini abbatis⁴⁾ Premonstratensis et capituli generalis...».

¹⁾ *Joannes I. abbas Strahoviensis 1250-1266.*

²⁾ *Theodericus I. abbas monasterii Lucensis in Bohemoslovia iam anno 1265 regnavisse clare hic apparet. Ultima vice commemoratur anno 1283.*

³⁾ *Hradisko.*

⁴⁾ *Joannes de Rocquigny 1247-1269.*

15

[1275 oct. 9.-11. Prémontré.]

Guerricus¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Jacobum abbatem Siloensem et Theodericum abbatem Lucensem visitatores annuos circariorum Bohemiae et Moraviae (aut iam unitae circariae Bohemiae?) instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1276 mart. 18. datas (CDB V, num. 810, p. 501): «...de consilio...domini Jacobi²⁾ abbatis Syloensis et Th.³⁾ abbatis ecclesie Lucensis visitorum eiusdem anni...».

¹⁾ *Guerricus 1269-1278.*

²⁾ *Jacobus 1275-1293.*

³⁾ *Theodericus I. 1265-1283.*

[1285-1313]

Bernhardus episcopus Pataviensis abbati Praemonstratensi et capitulo generali de subiectione monasterii Plagensis monasterio Osterhovensi scribit.

Copiarium quo PEZ in editione sua Thesaurus anecdotorum VI. II. p. 155-156 usus est nunc latet. Ibidem sine nota temporis.

In editione Urkunden-Buch des Landes ob der Enns, IV. Band, num. 402, p. 372 sub dato 1300.

Qui copia nota temporis omnino caret inter annos 1285 et 1313, quibus Bernhardus erat episcopus Pataviensis eam inserere censuimus.

Cf. Evermod Hager, Woher kamen die ersten Prämonstratenser nach Schlägl?, pag. 6 et nota 2 ibidem.

Olim sancta Pataviensis¹⁾ ecclesia monasterium de Salg²⁾ in fundo proprietatis suae plantari et de rebus ab ea titulo feodali dependentibus sub eo modo ac tenore ditari consensit, ut monasterio de Osterhoven³⁾ iure filiationis cohaerere deberet, quatenus utraque ecclesia mater scilicet et filia inclusae limiti nostrae dioecesis ipsam et oratione defenderent et meritorum radiis corruscantibus illustrarent. Verum processu temporis quidam Henricus⁴⁾ regularis^{a)} disciplinae quaerens subterfugia non solum alterius dioecesis⁵⁾ imo et alienae gentis ac idiomatis monasterio⁶⁾ illam impetravit⁷⁾ eximi horum omnium veritate suppressa, sicut liquide ostenditur ex postfacto. Quare sicut alias semel et iterum, sic et nunc tertio⁸⁾ vestrae reverentiae⁹⁾ supplicamus, ut quia secundum canones caput institutionis debet adtendi et evidenter appareat generale capitulum fuisse per dolum impetrantis in translatione huiusmodi circumventum, vos memoratam domum in Salg ad primitivam subiectionem Osterhovensis monasterii reducat scituri quod quemadmodum decet nos et pie intendimus eandem nostram plantulam et fovere praesidiis et beneficiis irrigare, si ad viridarium nostrae dioecesis fuerit reportata ita quod salva reverentia vestra scribimus nullo modo patiemur quod contra modum in ipsa fundatione appositum honor noster ad alios transeat et res deserviat alienis domusque per nos et nostros in nostro solo plantata ad extraneos transferatur, immo eam nostris usibus curabimus applicare.

¹⁾ Passau, in Bavaria, in *Re publice foederali Germanica*.

²⁾ Schlägl (germ.), Plaga (lat.) in *Austria Superiori*.

³⁾ Osterhofen, in Bavaria, in *Re publica foederali Germanica*.

⁴⁾ *Henricus abbas Milocensis 1285-1307 vel potius Henricus praepositus Plagensis 1242-1260.*

⁵⁾ *i.e. Pragensis, in hodierna Bohemoslovia.*

⁶⁾ *i.e. Milocensi.*

⁷⁾ *Tempus huius sic dictae impetrationis nescitur et sine dubio pertinet multo ante annum 1257, ubi prima vice de relatione inter monasteria Plagensis et Milocense certiores facti sumus.*

⁸⁾ *De tempore supplicationum primae et secundae nihil notum est.*

⁹⁾ *Difficile discernendum est quis ex diversis abbatibus monasterii Praemonstratensis hic nominandus sit (Guido 1282-1287, Robertus 1287-1288, Gulielmus de Louvignies 1288-1304, Adam de Crécy 1304-1327). Litterae episcopi Pataviensis Bernardi verisimiliter in primos annus pontificatus eius pertinent, ergo non multo post 1285.*

^{a)} *in aliis editionibus scriptum «Regularis» ergo legendum esset «Henricus Regularis». Nos autem legimus «regularis» et coniungimus cum sequenti, ergo «regularis disciplinae».*

17

[ante 1293 aug. 7. Prémontré?]

Guilhelmus abbas Praemonstratensis Miroslao praeposito Chotesoviensi licentiam et consensum praebet curiae in Újezd sub monte Petrino ad ipsum et monasterium Chotesoviense pertinentem Joanni praeposito Vysehradensi, regni Bohemiae cancellario, ad tempus vitae ipsius Joannis conferendae.

Litterae deperditae, cf. litteras Joannis praepositi Vysehradensis 1293 aug. 7. Pragae datas, orig. perg. in Archivo centrali status Pragae, sign. L IV RP Chotěšov num. 33 (inv. num. 2072). Cf. etiam editionem abbreviatam in RBM II, num. 1625: «...Johannes¹⁾...ecclesie Wissgradensis [!] prepositus Boemie regni cancellarius, recognoscimus...nos...a honorabili viro fratre Mirozlao [!]²⁾ preposito dominarum in Chotissow...curiam in Ugesd³⁾ sub monte Petrino...suscepisse...accidentibus...d. Guilhelmi⁴⁾ abbatis venerabilis Premonstratensis monasterii et Lyphardi⁵⁾ sui abbatis de Tepla...licentia et consensu...».

¹⁾ *Joannes praepositus Vysehradensis, annis 1290-1296 cancellarius regni Bohemiae.*

²⁾ *Miroslaus praepositus Chotesoviensis 1271-1293.*

³⁾ *Újezd quondam villa sub monte Petrino Pragae, iam exstincta, cuius memoriam retinuit hodierna via Újezd in civitate Pragensi.*

⁴⁾ *Guilhelmus de Louvignies abbas Praemonstratensis 1288-1304.*

⁵⁾ *Liphardus abbas Teplensis 1290-1293.*

18

[ante 1295 maii 11. Prémontré?]

Guilhelmus abbas Praemonstratensis Ulrico abbati Litomyslensi beneplacitum praebet villarum monasterii Litomyslensis Vokov, Pamětice et

Kladoruby sitas in Moravia circa Letovice Joanni praeposito Vysehradensi, regni Bohemiae cancellario, locationis titulo vendendarum.

Litterae deperditae, cf. litteras Joannis praepositi Vysehradensis 1295 maii 11. Pragae datas, orig. perg. in Archivo centrali status Pragae, sign. L IV RP Litomysl num. 12 (inv. num. 2357). Cf. etiam editionem in CDM V, num. 29 et aliam abbreviatam in RBM II, num. 1686: «...Johannes¹⁾ dei gracia Wissegradensis prepositus regni Boemie cancellarius profiteamur...quod...Ulricus²⁾ divina miseratione abbas, Johannes prior, Henricus suprior et Conradus prepositus totusque conventus Luthomislensis monasterii Premonstratensis ordinis Pragensis diocesis...venerabilium dominorum Guilhelmi³⁾ Premonstratensis et Budissii⁴⁾ Strahoviensis monasteriorum abbatum⁵⁾ beneplacito et consensu villas suas dictas Vockow⁶⁾, Pamethicz⁶⁾ et Cladrub⁷⁾ sitas in Moravia⁸⁾ circa Lethowicz⁹⁾...nobis concessionis seu locacionis titulo pro sexaginta marcis argenti Pragensis ponderis concesserunt et tradiderunt ac cesserunt...».

¹⁾ Cf. notam 1 num. 17.

²⁾ Ulricus abbas Litomyslensis 1278-1298.

³⁾ Cf. notam 4 num. 17.

⁴⁾ Budissius tantum una vice nempe 11. maii 1295 occurrit.

⁵⁾ Vokov, villa exstincta in hodierno districtu polit. Blansko in Moravia.

⁶⁾ Paměťice, distr. polit. Blansko in Moravia.

⁷⁾ Kladoruby, distr. polit. Blansko in Moravia.

⁸⁾ Moravia, quondam marchionatus, terra iacens inter Bohemiam et Slovaciā.

⁹⁾ Letovice, distr. polit. Blansko in Moravia.

^{a)} «abbatum» deest in editionibus CDM et RBM, forsā per omissionem editorum.

19

[circa 1298 Prémontré?]

*Guilhelmus abbas Praemonstratensis Ulrico abbati Litomyslensi conce-
dit licentiam donandi et resignandi census pitantiae annui in Svitava
Maiori et in villis Lačnov et Kamenná Horka Olomucensis diocesis
conventui Litomyslensi.*

Litterae deperditae, mentio in litteris 1358 oct. 5. Pragae datis (RBM VII, num. 15): «...super censu pitancie annuo in Czwytauia Maiori¹⁾ et in villa Lacznaw²⁾ et villa Hermanni³⁾, Olomucensis⁴⁾ episcopatus, quem d. Ulricus⁵⁾ pie memorie quondam abbas Luthomislensis, protunc conventui ante sexaginta annos [=circa 1298] de favore et licencia suorum superiorum videlicet dominorum abbatibus⁶⁾ Premonstratensis, patris abbatibus⁷⁾ et visitorum annuorum⁸⁾ pro servitiis tribus vicibus omni anno in missis et vigiliis solempniter pro fundatoribus ecclesie Luthomislensis perpetuo faciendis donavit liberaliter et resignavit...».

¹⁾ Svitavy, distr. polit. Svitavy in Moravia.

²⁾ Lačnov, hodie pars villae Korouhev in eodem districtu.

³⁾ Kamenná Horka (germanice Hermannsdorf) in eodem districtu.

⁴⁾ Olomouc civitas in Moravia.

⁵⁾ Cf. notam 2 num. 18.

⁶⁾ Cf. notam 4 num. 17.

⁷⁾ Budissius abbas Strahoviensis (cf. notam 4 num. 18) aut successor eius Emundus tantum ultimo anno regiminis sui nempe 8. ian. 1304 occurrens.

⁸⁾ Quorum nomina ignoramus.

20

[1301 oct. 9.-11. Prémontré.]

Guilhelmus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Mattaeum Vadegociensem et Nicolaum Rengisvallensem abbates visitatores annuos circariarum Bohemiae et Poloniae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1302 iun. 24. datas (RBM II, num. 1926, p. 830, CDM V, num. 136, p. 142): «...Ma.¹⁾ Wadegociensis et Ni.²⁾ Rengisvallis dei paciencia abbates, visitatores circariarum Bohemie et Pollonie [!] auctoritate domini Premonstratensis³⁾ et capituli generalis...».

¹⁾ Matthaëus abbas Vadegociensis 1301-1319.

²⁾ Nicolaus abbas Rengisvallensis tantum his annis nempe 1301-1302 notus est. Backmund, Mon. III, p. 98-99 eum in serie abbatum non inducit addens eum secundum necrologium loci inserere non posse. (Monasterium Rengis Vallis, Rengéval, dép. Meuse, dioc. Toul nunc Verdun in Gallia).

³⁾ Cf. notam 4 num. 17.

21

1303 sept. 1. [Louka]

Theodoricus abbas Lucensis a Guilhelmo abbate Praemonstratensi et capitulo generali confirmationem pitantiae de villa Oblekovice petit.

Orig. perg. in archivo regionali status Brunnensi, sign. E 57 Premonstrāti Louka, H 11 b. In pressulis pergameneis sigillum coloris cerae naturalis, oblongum, in extremitatibus suis partim laesum, 34 × 46 mm. In medio figura abbatis stantis cum mitra pedum in manu dextra tenentis, in manu autem sinistra librum forsan habentis. Circumscriptio: [+ S]ABBATIS: ECCLE SIE: LUCENSI[S].

Transsumptum in litteris Guilhelmi abbatis Praemonstratensis et capituli generalis anno 1303 oct. 9.-11. datis (cf. num. 22), perg., sign. E 57 Premonstrāti Louka, H 11 c in eodem archivo.

Publicatum minus accurate in CDM V, num. CLII, pag. 160-162 (ad annum 1303 sept. 1.) et CDM VI, num. CDIV, pag. 311-312 (ad annum 1330 [aug. 30].)

Reverendis in Christo patribus ac dominis domino Gwilhermo¹⁾

abbati Premonstratensi et abbatum eiusdem ordinis capitulo generali Thi.^a)²) divina miseracione abbas Lucensis ecclesiae oraciones et obedienciam paratam^b) cum omni reverencia et honore. Nostrorum prona obediencia filiorum et devocione permoti infrascriptam pictanciam videlicet villam nostram Oblusk³) dictam nomine ipsius pictancie per nos ipsis exnunc tradite et tradende cum grangia, pomerio, decimis^c), censu ibidem in ipsa, ab ipsa et de ipsa cum omnibus iuribus, fructibus, actinenciis^d) ac appendiciis existentibus^e) et provenientibus quocunque modo, nomine vel titulo undecunque proveniant vel provenire valeant ab eisdem tam in minimis quam in magnis, in quibuscunque consistant, ut nec a nobis nec ab aliquo successorum nostrorum inposterum predicti fratres Lucensis monasterii⁴) super percepcione pictancie supradicte in parte vel in toto umquam impediantur vel eciam perturbentur, in minorando, auferendo, violenciam inferendo vel aliquid extra conventum cuiquam exigendo de pictancia prefata ab ipsis. Cui et quibus pictancie et fratribus vineam integram in Canicz⁵) sitam cum omni iure et pertinentiis suis cum prescriptis et subscriptis iuribus, condicionibus, paccionibus, penis et sentenciis duximus adhibendam ac eciam apponendam quominus hiis eive omnibus et singulis integre absque diminutione, contencione, subtraccione, in deterius permutacione libere perfruatur^f), adimentes^g) nobis omnibusque successoribus nostris ordinandi et disponendi de predicta pictancia quantum in nobis est omnimodis facultatem. Quod si contra fecerimus per nos vel per alium in parte vel in toto, directe vel indirecte, publice vel occulte, ipso facto sentenciam excommunicacionis^h) et deposicionis volumus incurrisse, a qua nonnisi a vobis post plenam restitutionem et integram satisfaccionemⁱ) super hec ipsi factam conventui possimus absolvi. Sintque¹) ipsi fratres a^m) nostra obediencia absoluti, habentes liberam facultatem alium eligendi non obstantibus iuribus, graciis, privilegiis, relictis ordinisque statutis, quibusⁿ) quoniam ad hec prescripta et infrascripta omnimode renunciamus prescriptis et infrascriptis nos omnibus voluntarie submittentes simusque ineligibiles^o) et periurii ac infamie notis^p) respersi et omnino dampnati nec ad aliquam obedienciam nominatam umquam valeamus assumi toto tempore vite nostre renunciantes super hiis, ut dictum est, omni iuris et gracie auxilio nobis super hiis a quopiam facienda [!]. Et si qua facta fuerit, nullam optinuit^q) firmitatem. Quam pictanciam cum condicionibus expressis superius et eisdem successores nostri si contra premissa venire presumpserint, per omnia ceu [!] de nobis expressum est, petimus ut mulctentur a vestre paternitatis dominacione, deposcimus humiliter

confirmari. Ut autem hec nostra donacio, dacio seu concessio inviolabiliter perseveret, presentes in testimonium nostro sigillo fecimus communitari. Datum anno domini millesimo trecentesimo tercio Kalendis septembris.

^{a)} Th. in H 11 c.

^{b)} In Domino in H 11 c, loco obedienciam paratam.

^{c)} decima in H 11 c.

^{d)} attinenciis in H 11 c.

^{e)} Post existentibus sequitur in H 11 c spectantibus, sed subpunctatione deletum.

^{f)} perfruantur in H 11 c.

^{g)} adhimentes in H 11 c.

^{h)} Post excommunicationis sequitur incurrat, per ipsum scribam deletum in H 11 b.

ⁱ⁾ satisfaccionem sequitur demum post conventui in H 11 c.

^{j)} Post sintque sequitur per errorem scribae ipsi superfluum, ab ipso scriba deletum.

^{m)} Post a sequitur deletum n[obi]s.

ⁿ⁾ quibus per lineam haud claram subtus ductam deletum et sub eo ipso vocabulo signum indicans in plica scriptum Provisio [?, deletum et scriptum:] pictancia, quod autem hoc in contextu nullum sensum habet.

^{o)} Verbo ineligibiles praecedit in H 11 c illegibiles, sed subpunctatum.

^{p)} nota in H 11 c.

^{q)} optineat in H 11 c.

¹⁾ Guilhelmus de Louvignies 1288-1304.

²⁾ Theodoricus II. abbas Lucensis 1302-1306.

³⁾ Oblekovice, distr. polit. Znojmo, in Moravia.

⁴⁾ Louka in Moravia.

⁵⁾ Konice apud Znojmo, distr. polit. Znojmo, in Moravia.

22

[1303 oct. 9.-11. Prémontré.]

Guilhelmus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Theodorico abbati Lucensi pitantiam pro conventu Lucensi confirmant.

Orig. perg. in archivo regionali status Brunnensi, sign. E 57 Premonstrati Louka, H 11 c. In pressulis pergameneis quondam tria sigilla appendebant, quorum primi tantum parva fragmenta cerae viridae remanent; secundi sigilli nempe capituli generalis Praemonstratensis fragmentum cerae viridae 44 × 45 mm adhuc remanet, in quo figura sancti Augustini cum mitra sedentis, manu dextra benedicens et in manu sinistra pedum tenentis conspicitur. In sinistra et dextra parte legitur: SCS AUG. Cf. Pl. Lefèvre, L'emploi et la garde du sceau communautaire dans l'Ordre de Prémontré, *Analecta Praem.* XXXVIII-1962, p. 90, n.13. Sigillum tertium idem ac in litteris die 1. sept. 1303 datis, cf. num. 21 huius editionis, in parte superiori valde laesum.

Editum CDM V, num. CLIII, pag. 162 (ad annum 1303 sine mense et die) et CDM VI, num. CDIX, pag. 311-312 (erronee ad annum 1330 [post 30. aug.]).

Gwilhermus¹⁾ dei paciencia abbas Premonstratensis et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale universis Christi fidelibus ad quos presentes pervenerint salutem in eo, qui est omnium vera salus. Venerabilis in Christo fratris nostri Th.²⁾ abbatis^{a)} Lucensis monasterii petitionem literatenus recepimus in hec verba: [*Sequitur tenor litterarum Theoderici abbatis Lucensis die 1. sept. 1303 datarum, cf. litteras num. 21*]. Nos igitur vestris iustis petitionibus inclinati eandem pictanciam [!] eidem conventui vestro Lucensis³⁾ videlicet monasterii per vos factam cum sentenciis, condicionibus et penis presentibus confirmamus precipientes districte et volentes, ut illico ipso facto prelati, si qui fuerint vel subditi, qui predictam pictanciam [!] infregerint aut infringi ordinaverint, ut supra expressum est, relegato ipsis omni iuris, ordinis ac statuti auxilio predictas sentencias, condiciones et penas incurrant. Datum anno premissio⁴⁾ sedente nostro capitulo generali.

* *Post abbatis sequitur nostri, sed subpunctatione deletum.*

¹⁾ Cf. notam 4 num. 17.

²⁾ Cf. notam 2 num. 21.

³⁾ Cf. notam 4 num. 21.

⁴⁾ Id est 1303, cf. litteras num. 21.

23

[1305 oct. 9.-11. Prémontré.]

Adam abbas Praemonstratensis et capitulum generale Fridericum abbatem Steynveldensem et Theodericum abbatem Strahoviensem visitatores annuos circariae Bohemiae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1306 mart. 17. datas (RBM II, n.2084, CDM VII, n.166): «...Fridericus¹⁾ dei providencia Steynveldensis abbas auctoritate paterna et auctoritate reverendi domini et patris nostri Ade²⁾ Premonstratensis abbatis [cuius]^{a)} vicem una cum venerabili domino Th.³⁾ abbate Montis Syon gerimus in plenitudine potestatis necnon et capituli generalis...».

¹⁾ Fridericus de Arnsberg 1304-1334.

²⁾ Adam de Crécy 1304-1327.

³⁾ Theodericus II. 1304-1307.

a) «cuius» suppletum ab editoribus.